PRO STUDIIS PRIMAE PHILOSOPHIAE ORATIO F. FERDINANDI...

Ferdinando Antonio Darbi, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

Triumviris Ampliſſimis

GYMNASII PATAVINI

MODERATORIBUS

CAROLO RUZINO

Equiti ac D. Marci Procuratori

ALOYSIO PISANO

Equiti ac D. Marci Procuratori

JOAN. PETRO PASCHALICO

Fr. Ferdinandus Antonius Darbi

F.

PRIMAM *Ariſtotelis Philoſophiam juſſu veſtro explicare aggreſſus*, TRIUMVIRI AMPLISSIMI, *Ariſtotelicum diſputan-*

Digitized by Google

di morem ſequi volui. Quod enim ille facit, ut in ipſo quaſi veſtibulo multa de hac diſciplina honorifice, ac ſplendide dicat, in eaque cum utilitatis, & emolumenti, tum dignitatis & amplitudinis plurimum ineſſe demonſtret, feci & ego, quod in me fuit, uſumque ac dignitatem divinæ hujus facultatis oſtendi, ſuſcepta contra invidos quoſdam Vituperatores defenſione, qui eam voce, ſcriptiſque evertere conati ſunt. Cum autem criminationi locum dediſſe cognoſcerem otioſos quoſdam homines, qui Metaphyſici maxime videri & eſſe cum velint, graviorum rerum obliti, in levibus & nugatoriis verſantur, ac monſtris neſcio quibus pulcherrimam nobiliſſimamque Philoſophiæ partem dehoneſtant, facere non potui, quin & hos accuſarem, & ſi quidem intelligere

ve-

velint, officii ſui commonefacerem. Atque in cauſſa hac tota ſecutus ſum non preſſum illud anguſtumque Philoſophorum, ſed liberius paullo & copioſius Oratorum dicendi genus, quod res ipſa poſtulare videbatur. Quanquam me, ut id facerem, exempla quoque Virorum præclariſſimorum impulerunt, qui ad ſeveriores diſciplinas tradendas ingreſſi, hac ipſa Orationis ubertate & copia uſi ſunt: tum etiam perſpecta ſatis Auditorum ſtudia, qui in iſtiuſmodi exercitationibus nihilo plus requirunt ab eo, qui dicit, quam ut oſtendat ſe inſtrumentis non carere ejus diſciplinæ tractandæ, in quam ſe contulit. Id totum num recte ſuſceperim, ac præſtiterim, veſtrum judicium eſto. Ego enim nunquam me poſſe aliquid exiſtimabo, niſi Vobis probabitur: nec

97

Digitized by Google

dubitare ullo modo poſſum, quin quod probatur Vobis, probetur omnibus. Deus Opt. Max. Vos Reipublicæ ſalvos & incolumes quam diutiſſime ſervet, omneſque cogitationes Veſtras perpetuo fortunet.

Patavio Non. Jul. MDCCXXVII.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO.

QUOD publice docendi munus difficile quidem aleæque plenum, ſed honeſtiſſimum tamen, ampliſſimumque mihi nuper SERENISSIMI PRINCIPIS juſſu, & auctoritate delatum eſt, ita me ad editum hunc illuſtremque locum nunc primum accedentem afficit, atque in contraria diſtrahit, ut partim ſollicitum habeat, & valde anxium, partim etiam alacrem faciat, mirumque in modum confirmet. Quid

enim homini penitus abdito, privatamque vitam degenti glorioſum magis, magiſque honorificum contingere poteſt, quam graviſſimo judicio Veneti Senatus, quem jure, ac merito ſalutis mentiſque publicæ Principem appellamus, Triumvirumque ampliſſimorum beneficio, quibus univerſæ rei litterariæ procurandæ poteſtas data eſt, in qua publicæ felicitatis & gloriæ pars maxima continetur, e domeſticis tenebris in hanc lucem efferri, & in eum doctiſſimorum Virorum ordinem, in quo Adoleſcentium ad gloriam efforeſcentium concepta ſpes omnis collocatur, tanto conſenſu, & voluntate promoveri? Quæ cogitatio cum me valde erigit, atque ſuſtentat, tum etiam admonet immortalis, ac prope divini accepti beneficii, cujus magnitudo apud me tanta eſt, ut illud agnoſcere, & æſtimare quidem poſſim, æquali autem officiorum genere compenſare non poſſim. Quando autem neque referendæ, neque perſolvendæ gratiæ me parem unquam futurum eſſe intelligo, genus illud officii ſaltem, quod ſanctiſſimo pietatis nomine nuncupamus, diligens, quod in me erit,

ſem-

ſemper ita tribuam, ut nihil ad vene-
rationem, quæ optimo, & maximo Principi jure debetur, nihil etiam ad fidem, quæ in ſuſcepto munere explendo ſumma requiritur, mihi unquam deeſſe videatur. Attamen cum ad meipſum cogitatione convertor, mecumque reputo, qui ſim, quantum valeam, quid ingenio, doctrina, exercitatione polliceri de me, ac præſtare poſſim, ita commoveor, ut ipſa mei cognitione dejectus animos ferme deſpondeam; de me, deque harum virium infirmitate conquerar; nec eorum, qui de novo, ac ne mediocris quidem ingenii homine tam humaniter æſtimarunt, judicio reſpondere me aliquando poſſe confidam. Huc accedunt alia bene multa, quæ vel eruditiſſimo cuique viro timorem facerent, Auguſtiſſima hæc Muſarum ſedes, ac ſcientiarum omnium domicilium; loci hujus auctoritas, & amplitudo, quam ipſe ſponte mea nunquam contingere auſus eſſem; ipſa primæ Ariſtotelis Philoſophiæ ad Joannis Dunſii Scoti mentem explicandæ profeſſio, in qua nihil non abditum, nihil non retruſum uſquam reperias; eorum etiam, quorum ordini adjun-
gor,

gor, exquiſitiſſima rerum omnium cognitio, quam non dicam aſſequi, ſed ne ſatis quidem admirari me poſſe ſentio; quæ ſingula me attente circumſpicientem æſtu majore multo & vehementiore commotione perturbant. Quid quod in eum me locum ſuccedere oportere video, quem cum alii quondam Philoſophi nobiliſſimi, & ſuæ quiſque memoriæ Principes ſumma cum ingenii, doctrinæque laude obtinuerunt, tum vero proxime Vir ille tanta omnium conſenſione laudatus, Alexander Burgos, quem honoris, & pietatis cauſſa nomino, cujus ingenium, incredibilem pene memoriæ vim, & multiplicem eruditionem non modo in hac Urbe ſuſpeximus, ſed repente tam alte evectam vidimus, ut nihil illi ad ſummam in terris felicitatem defuerit præter vitam, & valetudinem. Quo igitur judicio mihi nunc opus eſſet, qua doctrinæ abundantia, qua dignitate orationis, ut famam tantam tueri poſſem, tum ab hoc, tum ab aliis immortalibus Viris partam, conſervatamque, qui ſedem hanc non modo gloria magni nominis, verum etiam admiratione impleverunt? Intelligitis hinc

opi-

opinor, Auditores, quam in ancipiti ac ſalebroſo loco ſim, ubi oculos animumque in partes omnes verſanti omnia plena periculi, laboris, difficultatis occurrunt. Unum tamen adhuc reliquum eſt præſidium, quod me ſuſtentet; ſpes illa ſcilicet, quæ mihi oboritur ſapientiæ, & humanitatis veſtræ, quæ quidem tanta eſt, quanta & ingenti frequentia veſtra, & hoc ipſo, quod vultu præfertis, ſtudio & voluntate declaratur. Hoc igitur fretus, erectuſque adjumento audere tandem incipiam, & ſiquid in tam difficili operoſaque provincia præſtare poſſim, experiar. Ac mihi quidem univerſim de primæ Philoſophiæ ſtudiis dicere de more inſtituenti prorſus ita videtur, nullo in argumento meam opportunius verſari poſſe orationem, quam ſi principio ſtatim cum duplici hominum genere nihil mediocriter inter ſe diſſentientium diſputationem ſuſcipiam, quaſique congrediar; quorum utrum Metaphyſicæ magis injurioſum ſit, dubitari fortaſſe poſſit, utrumque autem valde injurioſum eſſe, dubitari omnino non poteſt. Sunt enim ex una parte nonnulli, qui cum Metaphyſicam omnem

mnem contemnunt, tum Ariſtotelicæ præſertim infenſi ſunt: ex altera vero non deſunt, qui cum Ariſtotelis Metaphyſicæ favere ſibi maxime videantur, non Metaphyſicam Ariſtotelis tradunt, ſed inanem quandam Sophiſticen, & Metaphyſicæ larvam. Videtis hic, Auditores, tacitoque ſuffragio veſtro cenſetis, & hos, & illos, cum vehementer a veritate aberrent, & a recta philoſophandi ratione incautos multorum animos deducant, nullo modo ferendos eſſe; meque in primis, cui publice tuendæ veræ Philoſophiæ negotium datum eſt, facere non poſſe, quin ſolemni præſertim hoc die, & in tanto litteratiſſimorum hominum conventu utroſque ſui erroris admoneam, & quanta maxima poſſum contentione refellam. Quare ut exponam paucis omnem conſilii mei rationem, Metaphyſicæ univerſæ, maxime Ariſtotelicæ, a calumniis, & intolerabili quorundam obtrectatorum voce defenſionem ſuſcipiam; tum accuſationem inſtituam adverſus eos, qui Metaphyſicam tradunt adeo vitiatam corruptamque, ut in ea ſummum Philoſophum Ariſtotelem, quo illi Magiſtro glorian-

tur,

tur, vix, aut ne vix quidem agnoſcas. Quod antequam facere ingredior, veneror ſupplex Deum immortalem, Patrem luminum, omniſque originem veritatis, ut menti meæ præſto eſſe velit ad injuncti mihi graviſſimi officii partes, ut par eſt, adimplendas; ad videndum in quaque re quid veri ſit, quidve falſi; ad eam denique docendi rationem ineundam, atque perpetuo ſervandam, non quæ minus laboris, aut plus oſtentationis habitura, ſed quæ plus veræ ſolidæque eruditionis, ac ſapientiæ paritura eſſe judicetur. Nunc ad ea, quæ propoſuimus, accedamus.

ATque ut rem ſtatim aggrediar, operæ pretium facturus videor, ſi ſub ipſum dicendi initium cauſſas aperiam, & argumenta exponam, quibus cum ex antiquis, tum ex recentioribus permoti nonnulli Metaphyſicam in invidiam, & contemptionem adduxerunt, & in rerum inutilium cenſum referendam eſſe exiſtimarunt. Quid enim refert (inquiunt) ad erudiendum, aut ornandum humanum animum operam ſtu-

ſtudiumve conferre in facultatem diffi-
cultatis, & obſcuritatis pleniſſimam,
contentioſam, moleſtam, nugacem, in-
finitis denique involutam quæſtioni-
bus, quibus acumen tantum irritum
exercetur? Quæ magna eruditio eſt
poſt multas vigilias, laboreſque impro-
bos tandem intelligentia complecti,
quæ diſputationibus illis vulgatiſſimis
continentur, *de univerſalibus*, *de pri-
mo cognito*, *de principio individuatio-
nis*, *de quidditate*, *ſubſiſtentia*, *hacceita-
te*, deque aliis hujuſmodi ſexcentis,
quibus & innumeros, & immanes Me-
taphyſici libros impleverunt? An hæc
tanti æſtimari poſſunt, ut ſi quis eo-
rum cognitione deſtituatur, minus e-
ruditus propterea cenſendus ſit, ut mi-
nus certe eruditus eſt, qui Logicis,
qui Phyſicis, qui Ethicis inſtitutioni-
bus caret? Falſo. Nam ceteræ quidem
Philoſophiæ partes quantum utilitatis
afferant, facile eſt intelligere. Sive e-
nim Dialecticam conſideres, ab ea cer-
ta quædam inveniendæ veritatis, re-
cteque intelligendi ratio traditur, quam
qui diligenter attenderit, ab ambiguis
certa, perſpicua ab obſcuris, vera de-
nique a falſis, dividendo, finiendo, ar-
gu-

gumentando internoſcat. Sive Phyſicam ſpectes, quæ de naturæ univerſæ principiis diſſerit, quæ rerum orientium, & intereuntium cauſſas veſtigat, quæ corporum omnium cum ſupra, tum infra Lunæ orbem poſitorum motus, viciſſitudines, & virtutem explanat, an non Philoſophantis animum juvat, & multiplici cognitione delectat? Quod ſi ad eam, quæ de moribus agit, Philoſophiæ partem longe nobiliſſimam te convertas, quid honeſtius, aut conducibilius ea facultate, quæ de officio, de virtute, de ratione inſtituendæ vitæ, de moderandis animi perturbationibus diſputat; tum vitiorum fœditate detecta, propoſitaque virtutum pulchritudine oſtendit, qua cuique via liceat inoffenſo, tutoque pede ad felicitatem contendere? At vero ex Metaphyſicis quid emolumenti, aut opportunitatis unquam expectari poteſt? ex Metaphyſicis, inquam, ubi omnia ſtrigoſa, inepta omnia, inſulſa, & exſucca ſunt; ubi tantum abeſt, ut ab eorum ſtudiorum peritis exculti aliquid eruditique diſcas, ut e contrario ſi quid eruditi prius excultique didiceris, cum ad illos acceſseris, eorum

quaſi

quaſi contagio quodam ſtatim dedoceaaris; ubi denique qui præſtantiſſimi, & ingenioſiſſimi habentur, id unum agunt, ut acute ſubtiliterque inſanire videantur. Abeant igitur hi nugarum, & tricarum auctores; exterminentur e Philoſophorum Scholis Metaphyſici omnes, & eorum inanitates, quibus & ingenia maxima obſcurantur, & mediocria penitus extinguuntur. Hæc illi fere diſputant, Auditores, qui ſtudia noſtra inimice inſectantur, palamque ſe Metaphyſicæ oſores & hoſtes declarant. Hi porro dum hoc noſtrum doctrinæ genus aſpernantur, cum nobiliſſimæ ſcientiæ injurioſi ſunt, tum vero per ſummam impudentiam non eorum modo, qui publicas ubique terrarum Academias inſtituerunt, verum etiam Auguſtiſſimi Veneti Senatus auctoritatem, ac divinum prope conſilium videntur contemnere. Etenim ſi hujuſmodi ſtudia ita levia ſunt, & damnoſa, quemadmodum ipſis videntur eſſe, quid cauſſæ fuit, cur & in celeberrimis quibuſque Gymnaſiis primæ Philoſophiæ Magiſtri conſtituerentur, & in hac præſertim Academia Patavina, quæ una omnium inſtar eſt, tre-

cen-

centis ab hinc annis, Patrum ampliſſimorum decreto, propoſitis honeſtiſſimis præmiis, & ex finitimis, & ex remotis regionibus accirentur Viri in ea ſtudiorum ratione probati, qui in una Ariſtotelis Metaphyſica exponenda, ne quidquam deeſſet erudiendæ, optimiſque diſciplinis inſtituendæ juventuti, omnem operam collocarent? Id quod ſi accuſatores & vituperatores noſtri, quo par eſt, recto animo attendiſſent, ſatis profecto virium habere debuiſſet ad frangendam eorum temeritatem, repellendaſque calumnias, ut eam ſcientiam non leve quiddam, & contemnendum, ſed magnum præclarumque aliquid eſſe arbitrarentur, quam talium ac tantorum Virorum judicio comprobatam cognoſcerent. Sed quando cum iis hominibus nunc res eſt, qui ſuæ quidem plurimum, nihil autem alienæ auctoritati tribuunt, intelligitis, Auditores, ad eos revincendos conterendoſque aliunde mihi arma conquirenda in præſenti diſcrimine eſſe. Agedum quiſquis es qui cum Ramo, Nizolio, Patritio, aliiſque ſtudiorum noſtrorum contemptoribus Metaphyſica omnia, in primis Ariſtotelis,

tantopere exagitas, ac tanquam otioſorum hominum commenta traducis. Ita ne vero ſentis de facultate, quæ nobiliſſima omnium, atque pulcherrima, quæ longe lateque princeps ac domina, quæ divina prorſus habenda eſt? Profecto, ſi modo veritatem amas, haud gravate mihi conceſſeris, Metaphyſicæ partes eſſe a rebus hiſce caducis aſſurgentem animum eo perducere, ut res ab omni materiæ fæce liberas intueatur, ut primas earundem cauſſas, & principia inveſtiget, ut in generalibus rerum ideis, notionibuſque defixus immoretur, in quibus omnia, quæ cœlo, terra, marique continentur, in uno quaſi collecta ſpeculo, unaque tantum comprehenſione perſpiciat. Neque vero his tantum terminis finibuſque hæc noſtra Philoſophia circumſcribitur, ſed latiſſimus etiam in ea campus aperitur, in quo exſpatiari, & exultare animus poſſit, modo cœleſtes illas & puriſſimas mentes, quas Angelos dicimus, contemplatus, modo etiam ad Deum ipſum immortalem, immenſum, infinitum, rerum omnium auctorem, effectoremque cogitatione converſus. Quarum rerum contemplatio-

tioni dum vacat, tum ſupra res mortales univerſas mens humana conſurgit, ſuamque maxime dignitatem, & excellentiam oſtendit. Nam cum duabus partibus homo conſtet, corpore concreto atque mortali, animo vero ſimplici & immortali; quemadmodum ſi cæterarum diſciplinarum ope ad fluxa, ſenſibuſque ſubjecta cognoſcenda convertat animum, ea ſolum intelligit, a quibus altera ſui parte inferiore, minuſque perfecta non diſcrepat; ita quum ad intelligendas res materia ſolutas & immortales divinæ hujus facultatis ductu ac beneficio progreditur, eorum cognitione informatur, quibuſcum ſuperiore ac perfectiore ſui parte altera conjunctionem habet. Jam vero ſi ex Metaphyſicis nihil conſequeretur aliud humanus animus, quam ut oſtenderet ſe præſtantiſſimam quandam naturam eſſe, beatarum mentium ſimillimam, ac Deo ipſi proximam, id certe, aut ego vehementer fallor, egregium aliquid eſſet, atque pulcherrimum. Quo quidem ſummum Philoſophum Ariſtotelem ſpectaſſe arbitror, cum optabiliorem eſſe docuit præſtantium rerum, & a captu vulgi remo-

tarum, quam communium & pervagatarum cognitionem & intelligentiam, quod nimirum in eo animi humani cum ſublimibus, atque adeo divinis rebus, quarum cognitio ex uberrimis illis primæ Philoſophiæ fontibus hauritur, ſocietas & communio maxime eluceat. Sed ut hæc ejuſmodi ſint, quæ te quamvis reluctantem obſtinatumque permovere deberent, quiſquis primæ Philoſophiæ ſtudiis nullam operam impendendam putas, nolim tamen exiſtimes adeo inopem eſſe Metaphyſicam, ut in hoc uno, qui fortaſſis etiam aliarum quarundam artium fructus eſt, ejus utilitas & ubertas omnis contineatur. Quid illud quod hujus facultatis maxime proprium eſt? Quanti tandem faciendas cenſes opportunitates illas tantas, quantas vix queo dicere, quæ ex una Metaphyſica in ceterarum ſcientiarum orbem dimanant? Ecquid intelligis quam magnos uſus in ſingulis quibuſque diſciplinis habeant primæ Philoſophiæ principia, univerſitate ſumma, & ſimpliciſſima, quibus nihil eſt aut ad perſpiciendum notius, aut ad certam faciendam fidem ſtabilius, aut ad omnem Philoſophiam com-

pa-

parandam opportunius? Percontare, ſi placet, de horum principiorum uſu Dialecticos, Phyſicos, Mathematicos, tum eos etiam omnes, qui quodlibet aliud liberalis doctrinæ genus profitentur. Interroga, an eorum præſidio muniti quidquam profecerint, an verum unquam invenerint, an ſuis quiſque rebus aut negatis, aut in dubium vocatis opem tulerint, an denique ad ſuarum ſcientiarum principia communienda in iis firmamenti aliquid conſtituerint. Ingenuo certe pudore fatebuntur ad unum omnes quamlibet ſibi non levem quidem & perfunctoriam, ſed profundam ſolidamque rerum cognitionem unius prope Metaphyſicæ axiomatis, & pronunciatis acceptam referendam eſſe; hæc ſolum eſſe, quaſique fundamentum cujuſque artis, & ſcientiæ; neque quemquam aut in docendo, aut in diſputando excelluiſſe unquam, niſi prius in ſacra illa ſapientiæ noſtræ adyta ingreſsus, inde ſibi firmiſſima doctrinæ omnis, omniſque diſputationis præſidia comparaſſet. Hæc, inquam, uno ore, unaque conſenſione affirmabunt, niſi forte ex eorum numero fuerint, qui alieno ære ditio-

res facti, ſe tamen obæratos fateri nolunt, ſuoque ſe illa jure poſſidere prædicant, quæ tantum precario habent, ac ſibi aliunde commodata. Sunt enim, Auditores, nonnulli, qui in primæ Philoſophiæ ditionem plus æquo irrumpentes, multa quæ juris Metaphyſici ſunt, ſuis commentariis aſsuunt, ſibique aſsumunt; cujuſmodi ſunt, quæ *de communibus rerum ideis*, *de vocum univerſalium explanatione*, *de ſubſtantia*, *de accidente*, aliiſque id genus plurimis, apud alios quoſdam artifices legere eſt fuſe, copioſeque diſputata. Qui quidem quod illa uſurpant ad id quod volunt illuſtrandum & confirmandum, recte faciunt; quod vero ſuæ cujuſque arti vendicant, imprudenter meo judicio faciunt, & imperite. Nam horum præſertim vitium in cauſsa fuiſse arbitror, cur Petrus Ramus, & Marius Nizolius, quorum in Ariſtotelem, & Ariſtotelios omnes contentio pertinax, & odium Vatinianum fuit, ſtudia noſtra deſpicatui habuerint, & ad res inutiles amandaverint; quorum ille magnis animis pronunciavit, Metaphyſicam nihil eſse aliud, quam Logicarum tautologiarum cumu-

mulum; hic vero Metaphyſica omnia ita ſubvertit, ut ea partim ad Grammaticos, & Lexicographos, partim ad Rhetoras, partim ad naturales Philoſophos, partim ad Theologos, partim denique ad Ethicos pertinentia eſse judicarit. Quibus ego facile oſtenderem quam longe a veritate aberrarint, niſi hæc eorum opinatio digna eſset potius, quæ riſu & ſibilis excipiatur, quam ut ulla noſtra oratione refutetur. Id enim ſi acciperemus, quod iſti volunt, quid (quæſo vos Auditores per fidem veſtram) quid, inquam, hoc eſset aliud, quam diſciplinarum & doctrinarum omnium jura turbare? Nam ſi Metaphyſica jure ſuo excidat, neque jam ſingularis quædam diſciplina ſit, ſed cum aliis quibuſque artibus confundatur, quod illius & multi, & magni ſint in ſingulis uſus, nulla profecto amplius erit ars, aut doctrina, quæ de ſede, ac poſseſſione ſua ſimiliter non dejiciatur. Itaque cum & mathematicis tabulis non raro utatur Phyſicus, & Geometra Medico identidem ſuffragetur, & Dialecticæ diſserendi leges per omnem artem vagentur, jam & Mathematica

in Phyſicam, & Geometria in Medicinam, & Dialectica in omne diſciplinarum genus abibit. Quod cum ita perverſum, & abſurdum ſit, ut nihil magis eſſe, aut cogitari poſſit, nemo eſt, qui non videat, nihil turbari rectum diſciplinarum ordinem, etſi aliæ aliis uſui quandoque ſunt; ſed unamquamque profeſſionem certis concluſam eſſe finibus, & quaſi cancellis, quos ubi veritatis aut inveniendæ, aut ſtabiliendæ cauſſa prætergrediatur, jam non ſuo jure utitur, ſed alieno. Quod ſi homines, quibuſcum agimus, adhibito tantiſper judicio expendiſſent, quid in qualibet facultate ſui ſit, quid alieni, illud etiam profecto videre potuiſſent, nihil aliis artibus Metaphyſicam, Metaphyſicæ vero artes ad unam omnes debere plurimum. Sed ut eo revertamur, unde nos quorundam Philoſophorum mentio paulliſper abduxit, illud firmum ratumque ſit, primæ Philoſophiæ cognitione conſtitui & communiri artes ceteras; hanc eſſe veluti baſim, cui tota quanta eſt, Philoſophiæ moles incumbit; hujus unius præſidio ſuppetere Philoſopho abunde arma, quibus aut ſua tueri poſſit, aut alie-

aliena refellere ; ut propterea permirum videri debeat, reperiri nonnullos, qui Philoſophi, ſi Superis placet, audire volunt, uſque eo cæcos, ut quod in omnium oculos incurrit, ipſi non videant. Atque ego hactenus utilitates in humanas quaſque ſcientias ex metaphyſicis profluentes. Quid ſi illas commemorem , quæ in Theologiam redundant ? Non ex communibus illis dico , quibus artes diſciplinæque omnes , ut antea dicebamus , nituntur . Eſt quod Theologus peculiari quodam nomine Metaphyſico debeat. Etſi enim certum exploratumque eſt , Theologiam , quæ ſua fere omnia e literis, inſtitutiſque ſacris depromit, ita firmam ſtabilemque conſiſtere, ut eo quoque titulo humanis omnibus diſciplinis longe antecellat: tamen ne illud quidem inficiabitur quiſquam, ſi primæ Philoſophiæ cognitionem ſibi perpetuo comitem Theologus adjunxerit, futurum, ut de Deo rebuſque divinis multo alacrius, fidentiuſque conſtituat. Quod non ita intelligi velim dictum , quaſi vero divina illa *Theologiæ* principia minus firmitudinis habeant, quam ut iis continuo aſ-

107

ſenſionem adhibere etiam ſine Philoſophiæ adminiculo debeamus; ſed quod confirmari magis, magiſque illuſtrari videantur, ſi quæ Deo auctore nituntur dogmata, eadem ipſa natura, & ratione approbante, vera eſſe conſtiterit. Age vero quam multa ſunt Theologorum ſcita, certiſſima illa quidem, ſed minime tamen evidentia, quæ ſi prima Philoſophia in ſubſidium vocetur, plurimum ſtatim lucis, & perſpicuitatis acquirent? Eſſe ſupremum Numen, idemque unicum, optimum, ſapientiſſimum, quod omnia intueatur, & moveat, quod cœlum terraſque complectatur, ad quod res univerſæ quocumque tandem modo poſſunt contendant, hæc te docebit Theologus tanquam divinitus patefacta, quæ ſi Philoſophos noſtros conſuluerit, invictis etiam perſpicuiſque argumentis, natura ipſa monſtrante, conficiet. Quid ſi decreta illa Theologorum non ultimo certe loco habenda de divina rerum omnium procuratione, de ſcientia Dei, ejuſdemque vita, beatitate, ac pulchritudine; itemque de ceterarum mentium ſempiternarum natura atque vi ad eoſdem Philoſophos de-

fe-

Digitized by Google

feras? Quam multa ſtatim ediſſerentes audias, quam gravia, quam vera, quam perſpicua! Quæ illi ejuſmodi etiam argumentis confirmabunt, ut non dubiam, ſed certam fidem faciant, non ſuadeant modo, ſed & perſuadeant, non rem obſcuram & involutam exhibeant, ſed apertam & manifeſtam tanquam in meridiana luce demonſtrent. Atque hæc illi quidem egregie omnia præſtabunt non alio certe potiore præſidio freti, quam cognitionis & ſcientiæ rerum excellentiſſimarum, quas Ariſtoteles & primus omnium acutiſſime invenit, & in ſuis de prima Philoſophia libris uberrime tradidit, in quibus non modo de univerſo naturarum, principiorum, & cauſſarum genere, verum etiam de ſummo, & perfectiſſimo rerum omnium motore ac moderatore Deo, deque ceteris mentibus ſingularibus ac ſempiternis tanta diligentia, & ſubtilitate diſputavit, ut ſi mortales aliquam earum rerum ſcientiam ex hac univerſa natura aſpectabili conſequi poſſunt, eam ſcientiam *Vir ille divinus* iis libris complexus ſit. Quæ cum ita ſint, ecquis amplius æquo animo ferre poterit, Audi-

106

tores, eorum haud ſcio iniquitatem dixerim, an amentiam ſingularem, qui primam Ariſtotelis Philoſophiam nulli eſſe uſui dictitant, qui quale quantumque ſit illius erga ceteras diſciplinas meritum, & officium vel non intelligunt, vel nequiter, & calumnioſe diſſimulant, qui vicem denique noſtram vehementer dolent, quod in rebus nihili faciendis nervos omnes ætatis induſtriæque noſtræ laborioſiſſime contendamus? Deſinant aliquando, niſi omnem prorſus verecundiam amiſerunt, maledicere; comprimant vocem ſtudiis & laboribus noſtris iniquam; neque Philoſophiæ partem longe omnium principem, quam vel ob ingenii tarditatem, vel ob laboris magnitudinem aſſequi ſe poſſe diffidunt, invidioſe amplius vituperare pergant, ſed ingenue potius vel ſuam imbecillitatem, vel certe ſegnitiem ſuam confiteantur.

Verum audire mihi videor quoſdam, *queis meliore luto finxit præcordia Titan*, qui ut juſtiſſimas reprehenſiones noſtras effugiant, non primam Philoſophiam hactenus a nobis optimo loco conſtitutam, & ab acerbiſſimis obtrectatoribus vindicatam improbare ſe dicant,

cant, ſed inanem illam Sophiſticen, & Metaphyſicæ ſpeciem plane monſtroſam, quam in Philoſophorum Scholas frivolis quibuſdam nugacibuſque implexam quæſtionibus, dictione lutulentam & barbaram, ab Ariſtotelis gravitate, & ſimplicitate alieniſſimam, otioſi plerique homines invexerunt. Quorum accuſationi quid opponam, Auditores, aut quonam pacto reſpondeam? Video enim, nec ſine ingenti animi dolore video, quam illiberaliter æque ac perverſe ars hæc a Philoſophis quibuſdam aſcriptitiis tractetur, quamque ad ineptas cavillationes deſcenſum ſit, quarum auctores ſuos neque pudeat, neque tædeat. Itaque qui hujuſmodi non dicam Philoſophiam, ſed Philoſophiæ monſtrum condemnant, id nobis non modo non repugnantibus, ſed & libentibus, & approbantibus faciunt. At quando jam, ut videtis, ad partem alteram ſponte ſua deſcendit oratio mea, illud etiam atque etiam rogo, quod facile me ab unoquoque veſtrum impetraturum eſſe confido, ut ne videlicet ob levium paucorum hominum errata Philoſophorum univerſitas traducatur, neve Metaphy-

ſicæ

ſicæ tribuantur, quæ non ſunt Metaphyſicæ vitia, ſed vanæ cujuſdam, horridæ, inertis, litigioſæque Sophiſtices. Quæ mihi ſane, ſi cuiquam alii, vehementer diſplicet, & vero diſplicere debet omnibus, quibus (ut ajunt) cor ſapit. Quis enim, cui veritas curæ cordique ſit, amabit unquam frigida illa Metaphyſicorum commentaria, & ut phraſi Plautina utar, plane ridicularia, quæ nihil ex gravi Philoſophia referunt, nihil ex liberalibus diſciplinis, nihil ex veterum Philoſophorum monumentis, nihil denique ex eodem ipſo, cujus nomen immerito in fronte habent, Ariſtotele? Videas eorum opifices in eo totos eſſe, ut prætenues quaſdam minutiſſimaſque ſubtilitates perſequantur, quarum neque ſcientia emolumentum pariat, neque ignoratio detrimentum. Quid vero quum anxie inquirunt, quæ nuſquam ſunt, & pro immodica quærendi libidine tenere ſe probe exiſtimant, quæ non intelligunt? non aliter quam qui ſudum in meridiano ſole aſpectantes ex oculorum ſtupore quodam videre ſibi videntur aſtra, quum nihil videant. Piget me commemorare eas chimæras, & Hir-

& Hircocervos, quibus comminiſcendis enarrandiſque tantopere inſudant, ac tantas voluminum moles implent. Quod ſi amanter, & modeſte moneas, indignas eſſe hujuſmodi res, quibus inquirendis Philoſophus quidquam operæ ſtudiique tribuat, Deum immortalem! quas Tragædias, quas turbas excitant, quas quærunt ambages, ut portenta illa ad ingenii libidinem fabricata ſarta tecta tanquam Matris amictum tueantur? Uſque adeo acutas illas delirationes amant, ſibique propterea pulchri, beatique videntur eſſe. Miſera ſane atque ſterilia ingenia, & mea quidem ſententia ad paleam, ſiliquas, ariſtas, non ad frugem nata. Si hac via & ratione tradenda erat prima Philoſophia, valeant igitur, valeant omnes, quos hactenus graviſſimo Philoſophorum nomine dignos eſſe credidimus. O te deceptum Ariſtotelem (juvat enim te potiſſimum appellare, quem homines noſtri, ſi vera narrant, tanquam Philoſophiæ parentem, & Magiſtrum ſequuntur) O te, inquam, deceptum Ariſtotelem, qui cum Metaphyſicum ageres, & opus molireris, quo ad explicandas notiones in rerum uni-

univerſarum contemplatione poſitas viam ceteris explanares, ipſe tu cæcutiens, & lippiens a recto tramite deflexiſti. En tibi homines, qui ſi minus voce, at exemplo ſuo longe aliam philoſophandi rationem ineundam eſſe præcipiunt. Tu de rebus præſtantiſſimis, quibus omnis Philoſopho homine digna cognitio, omniſque ſapientia continetur, nunquam non graviſſime diſſeris; hi de commentitiis identidem rebus, ac ſæpe etiam de nudis voculis acerrime diſputant, de quibus internecina quandoque odia, & certamina inter illos naſcuntur, quaſi de ſalute patriæ, deque aris & focis agatur. Tu veritatis unius inveniendæ ſtudioſiſſimus, quæcunque in quæſtionem veniunt, ſobrie, temperanterque definis; hi quaſi ad diſcordiam nati, pertinaciter & contentioſe omnia ſcalpunt, ut non tam verum invenire velle videantur, quam contra omnes ad ravim uſque diſputare. Tu ex antiquorum ſapientum placitis, tu ex hiſtoriæ naturalis exemplis, tu ex politioribus etiam, & quæ ab homine dicuntur, diſciplinis momenta maxima petis ad ea, quæ tradis vel illuſtranda, vel confirman-

man-

manda ; & præcepta ſapientiæ, quo facilius in animos influant, inſatiabili quadam admirabilium rerum varietate conſpergis ; hi totius venerandæ antiquitatis monumenta, omneſque bonas artes ita negligunt atque contemnunt, ut qui harum rerum cognitionem ad vere utiliterque philoſophandum conducibilem eſſe ducat, ab his tamquam infantiſſimus, & ineptiſſimus irrideatur. Hinc nihil ferme aliud in his reperias, quam jejunitatem & maciem. Atque hæc ipſa cauſſa eſt, cur iſti, quibus, dum Scholas habent, ne ille quidem ſtentor Græcorum præco vocalior unquam, aut clamoſior fuit, cum e ſcholaſtico pulvere ad conventum eruditorum prudentumque hominum educuntur, frigidiſſime ubique tacent, atque ita ſtupent, ac ſi repente in alium quemdam orbem delati eſſent. Quid enim miſeri faciant? Mira ibi & inſueta illis facies rerum dictorumque omnium. Præter umbratiles illas & inanes res, quibus univerſam fere Philoſophiam abſolvunt, alia nulla, quæ loquantur, habent. Utinam vero inventa *ſaltem* cogitataque ſua ita proloquerentur, ut, barbarie deterſa, con-
ditam

ditam nitore aliquo ſermonis orationem afferrent. At impuro quodam opicoque dicendi genere utuntur, de quo ne inter omnes quidem ipſos conveniat, cum ſuorum ſibi quiſque ſit verborum faber, atque opifex; ut jam ad eorum arcanam dictionem intelligendam nullus præter ipſos Oedipus inveniatur. Quod loquendi vitium cum in his reprehendo, nolim quiſquam exiſtimet, me delicati adeo ſtomachi eſſe, ut eos Philoſophos approbem, qui dicendi veneres, & exquiſita nimis Rhetorum pigmenta ſectantur. Qui ſi forte uſpiam ſint, dum alterum ſermonis vitium vitare ſtudent, incurrunt in alterum. Neque enim Philoſopho debet eſſe curæ, ut ex arte præceptiſque Rhetorum affabre factam orationem contexat; ſed neque tamen horridum illud, incomtum, agreſte, ruſticanum dicendi genus perſequi debet, quo graviſſimum Philoſophiæ pondus & Majeſtas detrahitur. Gravis cujuſdam & ſeveræ Matronæ inſtar eſt Philoſophia, quam fucus, aut calamiſtris & lenociniis quæſita ſpecies minime quidem deceat, ſed multo etiam magis dedeceant ſitus, illuvies, & ſordes.

des. Itaque munditiem tantum ſermonis Philoſopho requirendam puto, ut neque nimia venuſtate illitis, neque lutulentis tamen & barbaris, ſed bonis aptiſque verbis utatur. Quod & Ariſtotelem feciſſe video, & eos etiam omnes, qui aliquo inter Philoſophos habentur loco, modo Epicurum excipias, & qui ex ejus diſciplina, familiaque cenſentur, quos ego vix homines, Philoſophos certe nullo modo eſſe crediderim. Neque propterea quiſquam ſuccenſeat Joanni Dunſio Scoto, optimo graviſſimoque Philoſophorum ac Theologorum Magiſtro, quod rerum ſubtiliſſimarum ſtudio occupatus, de verbis conquirendis non admodum laboraverit. Id enim tempori facile condonandum eſt, & ſæculi illius, quod profunda barbaries occupaverat, infelicitati tribuendum, Quanquam, ſi res ex æquo & bono æſtimetur, erit cur leporis & urbanitatis amatores, quidquid illud vitii eſt, moderate ferant in homine, ſi quiſquam alius, humanarum divinarumque rerum cognitione præſtantiſſimo, in quo minus diligens, & exquiſita locutio ſatis compenſatur tot ac tantorum acutiſſime inventorum

ſol-

ſollertia. Nos autem quis ferat, Auditores, ſi poſt litteras quaſi poſtliminio revocatas, hoc tam erudito ſæculo, in hac tanta ingeniorum luce, in hoc tanto ſplendore diſciplinarum omnium, commode probeque loquendi curam cum rerum inveſtigatione conjungere negligamus, ſed adhuc ſcientes videnteſque in luto, ac ſordibus volutemur? Quæ (malum) ſtultitia eſſet poſt repertas fruges adhuc glandibus veſci malle? Nihil ne igitur promovebimus unquam non priſcis modo, verum etiam recentibus, ac fere domeſticis Academiæ hujus florentiſſimæ exemplis incitati? Nihilne igitur poterunt, ut tandem expergiſcamur, & a miſero hoc profundoque veterno excitemur, Ordinis hujus univerſi, Philoſophiæ, Theologiæ, Medicinæ, Juriſprudentiæ Profeſſores doctiſſimi, qui cum ſapientiam atque prudentiam ad ſuam quiſque artem (utar enim Tullii verbis) quaſi lucem afferant, etiam litterarum ſcientiam, & loquendi ſuavitatem adjungunt? Ego certe, qui & hos Viros ſemper feci maximi, & his meorum ſtudiorum omnium ingrediendæ rationis auctoribus plurimum debeo, enitar

quan-

quantum in me erit, efficiamque, ut ſi minus imitatione tantam doctrinæ vim, litterarumque præſtantiam conſequi poſſim, voluntate & induſtria ad eos, quam proxime potero, accedam. Cujus voluntatis & conatus mei Vos, Vos teſtimonium dabitis, Adoleſcentes lectiſſimi, de quorum utilitatibus & commodis ita ſemper cogitabo, eroque ſollicitus, ut nunquam non rationes quaſque veſtras rationibus meis vel graviſſimis anteponam. Tu vero in primis nobiliſſime, atque ornatiſsime Pro-Syndice, qui ut præſtas auctoritate, ita incredibili quodam noſtrarum artium diſcendarum ſtudio atque ardore ceteris omnibus exemplo es: tu, inquam, teſtimonium dabis ejus laboris, diligentiæ, ſtudii, omnis denique officii mei, quod ſolemni hodie ſponſione in hoc ſanctiſſimo quaſi Muſarum templo tibi & univerſæ huic florentiſſimæ juventuti polliceor. Faxit Deus Optimus Maximus, ut vobis dignus eſſe videar, ad quem neque infrequentes, neque corrogati conveniatis; neve contingat unquam, ut Schola (quod omen avertant Superi) ſolitudinem habere mea culpa aliqua exiſtimetur. Quanquam quid

quid eſt, quod ego id mihi mali omi-
ner, auſpice Te, Senator ampliſſime,
cujus præſentem vultum, in quem hi-
laris, lætuſque intueor, optimum au-
ſpicium habeo ad res omnes bene fe-
liciterque gerendas? Juvat (ita vivam)
me bono animo eſſe, quod veluti au-
gurato initia docendi ſumpſerim, te præ-
ſente, tali tantoque Viro, ea pruden-
tia, conſilio, humanitate; in quo com-
mendando exornandoque libenter ſane
immorarer, ſi quam facile præſtas, ut
ab omnibus laudari debeas, tam facile
quoque te laudari patereris. Sed illa
etiam ex Te boni capiendi ominis
cauſſa ſubeſt, quod videlicet in ea fa-
milia natus es, in qua tanquam in tu-
tela dulciſſima litteræ noſtræ conquie-
ſcunt. Tu mihi imaginem quamdam
exhibes Caroli Patrui tui, Equitis, &
D. Marci Procuratoris, qui cum &
plurimis iiſque graviſſimis apud poten-
tiſſimos Europæ Principes legationi-
bus ſplendide obitis, & ſummis in Re-
publica honoribus ſua ſibi virtute par-
tis domi, foriſque clarus eſt; tum hoc
ipſo, nobis quidem, longe clariſſimus,
quod litterarum noſtrarum non cura-
torem modo, verum etiam propaga-
torem

torem ac vindicem, parentem inſuper amantiſſimum ſeſe præbeat. Ergo bonæ ſpei plenus urgebo acriter opus, cujus initium ob id unum inſigne videri poteſt, quod auſpiciis præſentiæ tuæ captum, hoc tam felici fauſtoque die, omnium quos antea vidi pulcherrimo; cujus quidem diei memoriam mihi ſemper jucundiſſimam neque ulla temporis diuturnitas auferet, neque ulla unquam delebit oblivio.

Habita eſt in Gymnaſ. Patav. XIV. Kalend. Febr. CIↃ IↃ CCXXVII.

C o r a m

JOANNE ANTONIO RUZINO II.

Patr. Ven. Urbis Prætore, ac Propræfecto.

ET HENRICO LUDOVICO MEYER

Nobili Probſthagenſi Artium Pro-Syndico.

114

Digitized by Google